

moenia 140. stadiorum. Hodie ea urbs uocatur Diospolis. Reges Aegypti in Thebis primū sederūt, deinde in Memphis, usq; ad Alexātri Macedonis tempora, qui Alexātriam iuxta mare condidit. Sunt qui dicūt Aegyptum olim habuisse decem & octo milia insigniū oppidorum & ciuitatum.

Aethiopia.

SVb Aethiopibus aut, intelligimus quoq; Troglodytas, Garamantes, Libyos, Nasamones, Getulos, &c. Supra Aegyptū & Nili cataractā Aethiopes sunt in meridiem uergentes ultra Syenem & tropicum Cancrī, uarijs nominibus, locis & moribus. Ad Meroē insulam, quam Nilus intercludit, habitāt Meroēni populi, & iuxta Macrobij, homines probi atque integri, qui uitae spacio dimidio fere longius quam nos uiuunt. Sunt ibi quoque Automalae, apud quos mira est auri copia, minor autem aëris. Aethiopibus imperauit Candaces regina tempore Strabonis, fuitq; regia eius Napata. Dicit etiam Strabo Aethiopes magna ex parte pastoralem ac inopem agere uitam, propter soli tenuitatem & aëris intemperiem. Vnde & in mediterraneis locis plerunque deseritur propter aestus magnitudinem & fontium raritatem. Iuxta fluuiū Asam habitant Rizophagi, comedētes scilicet radices arundinum, ex quibus contritis faciunt placentas, nec aliud quicquam gustant, ideo cōtinuam pacem inter se habent. A leonibus multa patiuntur, & plane dudū deleti essent nisi natura eis sponte praesidium tulisset. Nam sub ortum canis innumera culicum multitudo ad ea loca uolans, homines non laedunt, sed leones morfu & uocis sono abire compellunt. Alij sunt Aethiopes Cynici syuestrem incolentes patriam & asperam, rarisq; aquarum fontibus, supra arbores ferarum timore dormientes. Sub auroram ad aquarum decursus armati ueniūt, abscondentes se sub arborum frondes. Sub aestu uero solis agrestes boues pardalīq; & alia diuer-

sa ferarū caloris & sitis impatientia ad aquas confluentes, usque adeo se replent aqua ut uix se mouere possint, & tunc ab Aethiopibus dolo capiuntur, necantur, distribuūturq; in coctus ad comedendum. Sunt etiam alij Acridophagi Aethiopes, qui scilicet locustis uescuntur. Veris enim tempore infinitus locustarū numerus ad eos defertur, quae permagna sunt, praebentes uictum omni genti. Has sale superfuso diu seruant pro cibo. Non enim pecora nutriunt neque pisces habent, procul à mari positi. Alij sunt Trogloditae, in speluncis terrae habitātes & nudī incedentes, nisi quod uerenda tegūt pellibus. In terra eorum tanta est uis solis in meridie, ut discalciati incedere non possint, sine graui pedum exulceratione. Sitientes nisi cito potum sumant, moriuntur praestitu. Cibi in pasaeum cum aqua positi, cito solis ardore absq; igne decoquūtur. Est etiam lacus mirabilis in illis locis, qui perfusa corpora uelut oleo expolit, est que tam liquidus, ut ne caducas quidem uehat frōdes, sed ilico folia delapsa ad fundum dimittat laticis tenuitate. Autor est Solinus. Ad orientis latus sunt Nomades Aethiopes, pascendo pecori ad dicti. Cinocephali, qui lacte uiuunt. Achei, qui elephatorum uenatu sustentantur. Item Sorbotae, quibus longitudo 12. pedum. Et Sambales, apud quos quadrupedes auribus carēt. Praeterea Agriophagi, qui humana carne uescuntur. Cynomolgi, quibus ricus sunt canini & ora prominentia. Artaphatae, prouit ut pecora sine sedibus uagantur. Nugantur etiam quidam, circa originem Nili habitare Pygmaeos, qui cubitum non excedunt, hominibus in figura persimiles: recte incedunt, sed loquuntur imperfecte. In tertio anno generant, & in fine octauū moriuntur. Vsu rationis carent, non colunt iusticiam, uerēcundiam nullam habent aut honestatem, ideo bruti nuncupantur. Ultra hos sunt deserta ingentia, nec penitus olim ad meridiē cognita Africa,